

Item quod istud sacrum concilium non debet dissolui, neq; dissoluitur usq; ad extirpationem presentis schismatis, & quousque ecclesia sit reformata in fide & moribus, & capite & membris.

Item q; ipsum sacrum concilium non transferatur ad alium locum, nisi ex causa rationabili, & de consilio huius concilii deliberanda & concludenda.

Item quod prelati & alij qui debent interesse huic concilio, non recedat de hoc loco ante finitum concilium, nisi ex causa rationabili examinanda per deputatos seu de purandos ab hoc sacro concilio. Qua causa examinata & approbata, possunt recedere cum licentia huius vel illorum, qui habet vel qui habent auctoritatem: & tunc recedens teneatur dimittere potestatem suam alijs remanentibus, sub poenis iuris & alijs per hoc sacrum concilium indicendis, & in contrarium facientes exequendis. Super his autem articulis lectis & approbatis per cardinales & concilium, magister Henricus de piro promotor & procurator concilii, nomine totius concilii & Imperatoris petiit instrumentum.

al. contrafaci  
entes

QUARTA SESSIO IN ORDINE.

**D**IE Libbati xxx. & penultima mensis Martij supradicti, fuit sessio generalis in ecclesia cathedrali Constantiensis preedicta: & celebrauit missam de Spiritu sancto dominus patriarcha Antiochenus, in qua sessione fuit Romanorum rex in habitu & insignijs ad regem Romanum spectantibus, & cardinalis Florentinus pronunciauit articulos & constitutiones sequentes:

IN nomine sancte & indiuidue trinitatis, patris & filij & Spiritus sancti, Amen. Hac sancta synodus Constantiensis generale concilium faciens, pro extirpatione presentis schismatis, & unione ac reformatione ecclesie dei in capite & in membris fienda, ad laudem omnipotentis dei in Spiritu sancto legitime congregata, ad consequendum facilius, securius, liberior & huberius unionem & reformationem ecclesie dei, ordinat, disponit, statuit, decernit & declarat, ut sequitur.

al. diffinit

Et in Basilea  
si conc. sessio  
9. & 10. & 11.

Et primo, q; ipsa synodus in Spiritu sancto congregata legitime, generale concilium faciens, ecclesiam catholicam militantem representans, potestatem a Christo immediate habet, cui quilibet cuiuscumq; status uel dignitatis, etiam si papalis existat, obedire tenetur in his, que pertinent ad fidem & extirpationem dicti schismatis, & reformationem generale ecclesie dei in capite & in membris.

Item quod sanctissimus dominus noster papa Ioannes xxiii. Romanam curiam & officia publica illius uel illorum officarios, ab hac ciuitate Constantiensis ad alium locum non mutet aut transferat, seu personas dictorum officiariorum ad sequendum eum, directe uel directe cogat, sine deliberatione & consensu ipsius sancte synodi, & hoc quo ad illos officarios uel illa officia, per quorum absentiam concilium uerifinimiliter dissolueretur, uel laederetur. Et si contrarium fecisset, seu faceret in futurum, aut aliquos processus seu mandata contra dictos officarios uel alios quoscumq; huic concilio adhaerentes, etiam censuras ecclesiasticas aut alias poenas quascumq; continentes, ut ipsum sequerentur, fulminasset, fulminaret, seu fulminauerit, totum sit irritum & inane: nec eiusdem processibus, censuris & poenis, tanquam irritis & inanibus, quomodo liber obediendum fore, & ea & eos irritat: quinimmo dicti officarii in dicta ciuitate Constantiensis suis officijs utantur, & illa exerceant liber ut prius, quod ipsa sancta synodus in eadem ciuitate celebrabitur.

Item q; omnes & singula translationes prelatorum, necnon priuationes eorundem, aut aliorum beneficiorum quorumcumq; commendarum aut donationum reuocationes, monitiones, censuræ ecclesiasticæ, processus siue acta & gesta, gerenda, agenda, & fienda per prelatum dominum nostrum, aut suos officarios seu commissarios in laesionem concilii seu adhaerentium eidem, a tempore sui recessus, contra adhaerentes huic sacro concilio, uel existentes in eodem, aut in ipso: preiudicium, seu alicuius eorundem, quomodolibet ipsis inuitis facta aut fienda, facta uel facti, faciendæ uel facien-